

& *memoriae* clavem adhibuit, à *Mose* & *Prophetis* incepit, & *scripturas* de se loquentes aperuit, quod oportuerit hæc pati *Christum*, & ita intrare in gloriam suam v. 26. 27. statim *ipsis intellectum Mnemosophias paschalis* dedit, & *lucem cognitionis*, ac *ignem spiritualis ardoris* in cordibus ipsorum accendit, sicut ipsi testantur v. 32. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas.* Sic dedit *intellectum*, *ratione cognitionis*, *affectum*, *ratione ardentis dilectionis*, *paschalem effectum*, *ratione subitaneæ reversionis*, & *paschalis communicationis.* Partim *personis synodicis*, & *unanimiter congregatis*, sicut *Christus Apostolis*, in unum congregatis, non semel apparuisse, *scripturas*, earumque *sensum* aperuisse, & *mysteriorum resurrectionis verum intellectum* illis dedisse perhibetur. Conf. *Luc. XXIV. 44.* ubi tum ex *Mose*, tum ex *Prophetis*, tum ex *Psalms*, *scripturas* de se loquentes exposuit, & *sensum* eis aperuit. *Dixit enim ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum: quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Mosi, & Prophetis, & Psalmis de me:* quibus addit *Lucas: v. 45. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.* Conf. etiam *Johan. XX. 19. seqq.*

11. Est autem *Christus causa Principalis* hujus *Mnemosophias* (1) *ratione divine nature*, tum quia *substantialis est sapientia Patris Prov. IIX. 1. seqq.* tum quia *summus & æternus est consiliarius Patris Esa. IX. 6.* qui dedit omne de salute nostra *consilium*, & hoc pacto quoque *consilium Mnemosophias paschalis* nobis destinavit; tum quia *Filius*, qui semper est *in sinu Patris* nobis omnia *mysteria*, simul etiam *Mnemosophiam paschalem* principaliter revelavit *Joh. 1. 18.* (2) *ratione humane nature*, tum quia secundum hanc *Spiritus Domini super ipsum*, eo quod *unctus est ad annunciandum mansuetis*, non tantum alia, sed etiam *paschalem hanc Mnemosophiam*, id quod actu fuit in diebus *paschalibus impletum Esa. LXI. 1.* *unctus autem est oleo letitiæ præ consortibus suis Psal. XLV. 8.* non tantum *instar capitis*, in quod *oleum omne Spiritus Sancti* fuit effusum *eminenter vid.*